

Michael von Albrecht

De lingua Latina viva voce discenda

Oratiunculae Matritenses scriptorum Latinorum testimoniis illustratae, habitae mense Augusto anni MMXIV initio cursus illius Matritensis cui nomen CAELVM.

Oratio prior

De Latine discendi loquendique initiis

1 Prooemium

Libenter, sodales, huc veni, quia, ubicumque Latine loquuntur, *ille terrarum mihi praeter omnes / angulus ridet* (Hor. *carm.* 2, 6, 13). Quare magna habenda est utrique Antonio et Danieli et Isabellae omnibusque collegis gratia, quod id curant, ut loca atque tempora creentur, quibus tantum Latine loquamur et quod loca elegerunt tam veneranda tamque amoena. Quamquam vereor ne non desint, qui nos mente captos esse dicant. Quibus audacter verbis Horatianis respondere poterimus: *dulce est desipere in loco* (*carm.* 4, 12, 28). Hodie autem de proverbiis sive sententiis versibusque memorialibus Latinis ad Latine loquendi initia pertinentibus pauca dicam. Quis enim nescit linguam Latinam mira quadam brevitate atque elegantia excellere, et in litteris Latinis tot inveniri breviter et commode dicta, ut saepissime exclamare cogamur: *nullum est iam dictum, quod non sit dictum prius!* (Ter. *Eun.* 41). Non tamen vos tenebo longis ambagibus aut definitionibus, sed ea, quae de Latine loquendi quasi incunabulis dicam, passim sententiis Latinis illustrabo.

2 De audendo.

Ante omnia igitur abiciamus omnem timorem pudoremque falsum. Etenim *audentis fortuna iuvat* (Verg. *Aen.* 10, 284) et – mihi credite! – *dimidium coepti qui coepit habet* (Hor. *epist.* 1, 2, 40). Id autem, quod nimis audacter de puellis expugnandis dicit Ovidius, rectius et tutius ad locutiones Latinas intellegendas discendasquereferendum est: *Prima tuae menti veniat fiducia cunctas / posse capi* (ars 1, 269s.).

3 Quando incipiendum sit.

Vita, id quod nemo nescit, brevis est et *omnis una manet nox* (Hor. *carm.* 1, 28, 15). Incipiendum igitur est quam primum. Quo spectat illud *carpe diem!* (Hor. *carm.* 1, 11, 8). Huc accedit, quod adulescentes facilius discunt quam senes. Id enim quod de testa, id est de vase testaceo, dixit poeta, etiam ad caput humanum referri potest: *quo simul est imbuta recens, servabit odorem / testa diu* (Hor. *epist.* 1, 2, 29s.). Nam *dum differtur, vita transcurrit* (Sen. *epist.* 1, 2). Recte igitur Seneca (*epist.* 94, 28): *piger ipse sibi obstat*.

4 De nostris viribus non esse dubitandum.

Ergo cum non multum temporis habeamus, non licet nobis tempus consumere in dubitando de nostris viribus, quin etiam *plus in mora periculi* est (Liv. 38, 25, 13). Etenim dum Latini inter se disputant, bellum Aeneas parat: *Illi haec inter se dubiis de rebus agebant / certantes, castra Aeneas aciemque movebat* (Verg. *Aen.* 11, 445 s.).

5 De voluntate.

At contra nos ipsi consolemur versu illo Ovidiano: *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas* (Ov. *Pont.* 3, 4, 79). Etiam melius Propertius (3, 1, 7): *in magnis voluisse sat est*.

6 De assiduitate studiorum et de repetitione.

Si *parta tueri* (Ov. *ars* 2, 13); id est, ea, quae didicerimus, memoria tenere volumus, repetitione assidua opus est. Commodissime enim Thomas Aquinas, doctor angelicus, ait *repetitionem matrem esse studiorum*. Et quidem optimo cuique scriptori immorandum est, cuius pagina (ut ait Horatius) *decies repetita placebit* (*ars* 365). Recte igitur Quintilianus (*inst.* 10, 1, 112): *Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit*. Nam *dies diem docet* (ut ait Publilius Syrus). Hoc ipsum confirmat Plinius maior, qui narrat (*nat.* 35, 84) Apelli summo pictorum fuisse perpetuam consuetudinem *numquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem: quod ab eo in proverbium venit* et facile ad exercitia linguae Latinae referri potest (*Nulla dies sine linea*), usque eo, ut *consuetudo quasialtera natura fiat* (Cic. *fin.* 5, 25, 74). Admonet nos autem Cicero ita: *ut sementem feceris, ita metes* (*de orat.* 2, 65, 261). Etenim, ut ait Lucretius Epicuri discipulus (1, 149 et al.), *de nihilo nihil fit*.

7 De modo. Quantum discendum sit. De sui ipsius cognitione.

Hic quaerat aliquis: Quantum autem me discere iubes? Num diu noctuque vigilandum? Minime, sed quantum poteris. Recte enim Horatius Panaetium philosophum secutus nos examinare nosmetipsos iubet, ut cognoscamus, quantae sint vires nostrae, i.e. *quid ferre recusent, / quid valeant umeri* (*ars* 39 s.). Nam, ut iurisconsulti Romani dicunt, *ultra posse nemo obligatur vel impossibilium nulla obligatio est* (*dig.* 50, 17, 185). Ergo et magister et discipulus *iustitiam* colere debebunt, quae *in suo cuique tribuendo cernitur* (Cic. *off.* 1, 5; *fin.* 5, 23, 67).

8 De erroribus non nimis timendis. De errorum utilitate.

Dicat aliquis: Nolo Latine loqui, quia puritatem sermonis Latini corrumpere nolo. Hic tamen caveamusne conscientiae nomen speciosissimum praetendamus ignaviae nostrae. Acute enim poeta Anglus dixit conscientia fieri, ut nos omnes ignavi simus (*thus conscience does make cowards of us all: Hamlet* 3.1.84). Tironibus certe primo id curandum est, ut omnino loquantur, deinde ut recte. Eadem mente illud Lutheri quod est „*pecca fortiter!*“ intellegi debet, non ut consulto peccemus, sed ut desidiam inertiamque vitemus et facere aliquid audeamus. Iustis enim de causis desidia, quam Graeci acediam appellant, inter mortalia peccata numeratur. Quod maius est: errando plurimum discimus, nam *cui dolet, meminit* (Cic. *Mur.* 20, 92). Equidem eos in grammatica Latina errores, propter quos discipulus a magistris correptus sum, et bene recordor et posteavitare conabar. Nam, ut Ciceronis verbis utar, *cuiusvis hominis est errare, nullius nisi insipientis in errore perseverare* (Cic. *Phil.* 12, 2, 5). Magna ergo habenda est gratia magistris, qui nos corrigunt. Tamen cum tironibus etiam in corrigendo adhibendus erit modus, ne omnino deterreantur a Latine loquendo.

9 De legendo.

Sin autem neminem habemus, qui nos corrigat, id studeamus ut ipsi nos corrigamus, memores illius Horatiani: *saepe stilum vertas* (Hor. *sat.* 1, 10, 27). Nam priore parte stili, quae acuta erat, in tabellis ceratis scribere solebant, posteriore stili parte, quae hebes erat, ea delebantur, quae perperam scripta erant. Tamen siquid *non liquet* (Cic. *Cluent.* 28, 76), semper interrogandi sunt rerum periti, inter quos Nägelsbachius¹ locum obtinet summum. Quia autem *longum iter est per praecepta, breve per exempla* (Sen. *epist.* 6), semper optimi scriptores evolvendi, imprimis Cicero et ut quisque Ciceroni simillimus.

¹C. F. von Nägelsbach, *Lateinische Stilistik*, Norimbergae ⁹1905 (ed. stereotypa, Darmstadii 1967). Qui liber plenus ingenii atque artis dignissimus est, quem omnes, qui Latine scribimus, legamus.

10 E tenebris lux: numquam desperandum.

Tamen temporis momenta non deerunt, quibus tot tantisque difficultatibus in lingua Latina usurpanda usque eo obruamur, ut desperare videamur. Verbi gratia, cum disserendum est de rebus hodiernis, cogimur, ut vocabulis novis utamur iisque non Latinis. In his casibus, ut ita dicam, inter Scyllam et Charybdim navigantes *ex malis eligere minima* (Cic. *Tusc.* 3, 23; cf. 3, 29 *minima de malis*) debebimus. Ceterum numquam desperandum est. Nam *nondum omnium dierum sol occidit* (Liv. 39, 26, 9); immo in ipsa nocte nascitur lux et in tenebris magis exsplendescit (*lux lucet in tenebris*: Ev. *Ioh.* 1, 5; *nocte media vidi solem*: Apul. *met.* 11, 23, 6); ita etiam nobis licebit Lucretium secutos *e tenebris tantis tam claram extollere lucem* (Lucr. 3, 1). Nolite igitur eos audire qui *receptui canunt* (Cic. *rep.* 1, 2, 3), sed audacter progredimini – confisi Horatio qui dixit: *nil mortalibus ardui est* (*carm.* 1, 2, 37) – et summos heroas Herculem atque Ulixem *per aspera* sequamini, ut denique laudemini a Marone, qui dixit: *sic itur ad astra* (*Aen.* 9, 641).

Restat, ut ad hanc fortasse nimis stoicam adhortationem addam epicuream: Non enim solum decorum atque honestum est Latine loqui, sed etiam dulce atque iucundum. Est enim sermo Latinus natus ad homines inter se conciliandos amore atque amicitia. *Hoc enim uno praestamus maxime feris, quod colloquimur inter nos* (Cic. *de orat.* 8, 32). Gaudeatis igitur et fruamini sermonis Latini lepore atque dulcedine!

Oratio altera:

Sitne discendi finis²

Iam pulcherrimi dies colloquiis Latinis dedicati ad finem pervenerunt. Sunt certe *iucundi acti labores* (Cic. *fin.* 2, 32, 105). Quantum enim gaudium est, quod hoc cursu feliciter peracto unicuique vestrum dicere licet: *civis Romanus sum* (Cic. *Verr.* II 5, 57, 147), id est: civis *aeternae urbis* (Tib. 2, 5, 23), et *civis orbis terrarum* (cf. Diogenem philosophum ap. Diog. Laert. 6, 63).

Tamen equidem neminem nostrum dicturum puto: *Ohe, iam satis* (Hor. *sat.* 1, 5, 12 s.), sed contra: *nil satis est* (Hor. *sat.* 1, 1, 62). Pergamus igitur, et quam plurimum et inter nos et cum amicis discipulisque nostris loquamur Latine. Quod paene naturaliter fiet, si loca et tempora creabimus, quibus Latine tantum loquamur.

Equidem non ignoro vobis Latine loquentibus nonnumquam idem accidere posse, quod Ovidio, qui exsul in hodierna Dacoromania haec scripsit: *barbarus hic ego sum, quia non intellegor ulli* (*trist.* 5, 10, 37). Carmina tamen illum sermonis patrii non oblitum esse testantur. Quae lingua nunc etiam nobis (sicut omnibus pacis amatoribus) sermo patrius est. Nam quot rixae intergentes fieri solent de linguarum usu! Quot gentes lamentantur peregrinorum populorum linguas sibi imponi! At si omnes linguam Latinam discent, quae et nullius gentis et omnium gentium est, tolletur invidia, quia nemo ullius gentis linguam suae praeferri dicere poterit.

Ceterum siqui vos deridere volent, rideant contentique in paludibus suis cantilenam ranarum, quae *quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere temptant* (Ov. *met.* 6, 376). Vos enim haec minime terrere poterunt, nam *neque praetor minima curat neque muscas aquila captat*.

Sed quid illis respondebimus, qui utentur verbis patris Ovidii dicentis: *studium quid inutile temptas?* (Ov. *trist.* 4, 10, 21) et fortasse etiam addent ne Homerum quidem magnas divitias sibi

²Oratio die colloquiorum Latinorum ultimo habita.

comparavisse? Quid aliud nisi nos cives esse urbis aeternae et opes non terrenas neque caducas, sed aeternas quaerere, praesertim cum his temporibus ipsi argentarii nobis demonstrent, nihil aliud esse pecuniam nisi chartam atque fumum? Numquam igitur Medea illa audienda, quae dicit *Video meliora proboque / deteriora sequor* (Ov. *met.* 7, 20; cf. Eurip. *Med.* 1078; eiusdem *Chrysipp.* frg. 837 s.; *Hippolyt.* 380). Nolite igitur eos, qui *receptui canunt* (Cic. *rep.* 1, 2, 3), audire, sed progredimini audacter! Optime igitur faciemus, si in scholis nostris cum discipulis Latine colloquemur. Nam ita et ipsi *docendo plura discemus*.

Tamen erunt, qui iurisconsultorum more quaerant brevissime: *Cui bono?* Quibus respondendum: et nobismetipsis et omnibus.

Ac primum quidem quanta beneficia ex lingua Latina viva voce usurpanda ipsi trahere possimus, manifestum est. Quorum beneficiorum maximum est gaudium illud, quod nobis lingua tam pulchra et plena maiestatis uti licet. Huc accedit quod hac lingua nobis hodie datur plena libertas, qua omnes cogitationes nostras sine ullo metu enuntiare possimus. Quam bona haec occasio est saturarum scribendarum, cum nemo paene eorum, qui rem publicam gerunt, Latine sciat! Liberat ergo lingua Latina nos servitute ea, quae falso ab Americanis *rectitudo politica* appellatur, quae tamen minus quid rectum, quam quid opportunum sit spectat. Utamur ergo occasione nobis data scribamusque saturas. Nam non solum temporibus Iunii Iuvenalis, sed etiam nostris *difficile est saturam non scribere* (Iuv. *sat.* 1, 30). Dat autem lingua Latina nobis tantam libertatem, quanta ne antiquis Romanis quidem umquam fuit. Et quid maius libertatedari potest nobis?

Deinde non tantum nobismet ipsis utilis est lingua Latina, sed etiam omnibus gentibus. Etenim cum omnes ii, qui Latine loquuntur, fratres fiant, pax inter omnes gentes fieri potest. Quo denique id fiet, quod olim Cicero optaverat: *cedant arma togae* (Cic. *Tusc.* 1, 22). Id est: Cedat vis armorum auctoritati potestatique civili.

Haec omnia ne *pia desideria*³ maneat, operam demus idque studeamus, ut lingua Latina utilis quam plurimis esse possit. Libenter enim Ciceronis de philosophiaverba afferro, quae etiam ad linguam possunt referri Latinam (*Tusc.* 1, 3, 5): *<philosophia> inlustranda et excitanda nobis est, ut, si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possimus, otiosi*. Item (*div.* 2, 1, 1): *Quaerenti mihi multumque et diu cogitanti, quam re possem prodesse quam plurimis, ... nulla maior occurrebat quam si optimarum artium vias traderem meis civibus*. Quid quod Udalricus de Wilamowitz, philologorum princeps, philologum esse dixit virum bonum *discendi peritum*? Ergo in dies in discendo perserveremus Solonem secuti, *qui se cotidie aliquid addiscentem dicit senem fieri* (Cic. *Cato maior* 8, 26). Eodem illud pertinet quod Cicero de ipsius *de senectute* libro (1,2) scripsit: *Mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit, ut non modo absterserit omnes senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam et iucundam senectutem. Numquam igitur laudari satis digne philosophia poterit, cui qui pareat, omne tempus aetatis sine molestia possit degere*. Idem de lingua Latina colenda dicendum est. Quare hanc viam, quam institimus, tenere pergamus, sermonem Latinum colamus, et amicos discipulosque nostros ad Latine loquendum, legendum, scribendum adhortemur!

³ Hic est titulus duorum operum, quorum alterum scripsit Hermannus Hugo S.J. Antverpiae 1610; alterum Philippus Jacobus Spener, Francofurti 1675.